Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

# Philippi Melanchthonis Grammatica Latina

Melanchthon, Philipp

Wittebergae, 1621

Caput III. De nomine adjectivo

urn:nbn:de:bsz:31-112308

Visual Library

*Propheta* *Prophetria.*

Qvædam tamen etiam IS & ISSA admittunt. *ut, Propheta, Prophetis, & Prophetiſſa.*

III. Gentilia aliarum terminationum, ex autoritate ſunt petenda, & ex ſimilibus ſimilia iudicanda. ut:

| | |
|---|---|
| *Cres* | *Creſſa.* |
| *Thrax* | *Thraßa, Threßa, Threißa.* |
| *Tros* | *Troas, Troïas.* |
| *Phœnix* | *Phœniſſa.* |
| *Æthiops* | *Æthiōpiſſa.* |
| *Libys vel Libs*[7], | *Libyſſa, Libyſtis.* |
| *Phryx* | *Phrygia.* |

# CAPUT III.

## DE NOMINE ADjectivo.

** Qvid eſt Nomen Adjectivum?*

Adjectivum[1] eſt, cui Germanicè addi poteſt, Man/ Weib / Ding. *ut, Albus, Niger.* 1.
† Vel, Cuius ſignificatio abſqve altero aliqvo intelligi non poteſt.

*△ Qvot terminationum ſunt Adjectiva ratione Motionis?*

Omne Adjectivum, vel eſt unius terminationis, deſinens in Poſitivo Tertiæ, aliter qvàm in IS. *ut, Hic, Hæc, Hoc Felix, Sapiens, Arpinas*[2], *Pauper*[3], *Qvatuor, Qvinqve, & reliqva Numeralia Cardinalia uſqve ad Centum, ut & Mille Adjectivum, &c.*[4] 2.3. 4.

Vel duarum terminationum; ut qvando Maſculinum & Fœmininum in IS deſinit, & Neutrum in E format. *ut, Hic Hæc For-*
9. *tis, Hoc Forte. Hic Hæc Arpinatis,* [5] *Hoc Arpinate.* Aut qvando Comparativa in OR, Neutra in US habent. *Hic Hæc Doctior, Hoc Doctius.*

Vel trium; ut qvorum Maſculina in US, ER, vel UR, in ſecunda Declinatione deſinunt. ut:

| | | |
|---|---|---|
| *Doctus* | *Docta* | *Doctum,* |
| *Pulcher* | *Pulchra* | *Pulchrum.* |
| 6. *Satur* [5] | *Satura* | *Saturum.* |

Formantur horum Fœminina & Neutra à Genitivis Maſculinis. *ut,*

| | | | |
|---|---|---|---|
| *Doctus* | *DoctI,* | *DoctA,* | *DoctUM.* |
| *Pulcher* | *PulchrI,* | *PulchrA,* | *PulchrUM.* |
| *Satur* | *SaturI,* | *SaturA,* | *SaturUM.* |

Qvædam ſunt duarum & trium terminationum ſimul. v. g.

I. Compoſita qvædam in US & IS. *ut:*

*Exanimus, a, um,* & *Exanimis, e,*
*Effrenus, a, um,* & *Effrenis, e,*
7. & *ſimilia* [7]: qvorum tamen Fœminina in A non facilè reperies.

8. II. Simplicia qvædam in ER & IS, [8] ubi ER Maſculino tantùm; IS verò & Maſculino & Fœminino ſimul competit. *ut:*

*Hic*

*Hic Acer,* *Hæc Acris,* *Hoc Acre.*
Et. *Hic Hæc Acris, Hoc Acre.*

Sic, *Alacer, Celeber, Celer,* [9] *Volucer, Saluber,* 9.
*Campeſter, Silveſter, Paluſter, Eqveſter, Pedeſter.*

At *Gibber, Gibbera, Gibberum*: & *Hic Hæc Gibberis* [10], *Hoc Gibbere.* 10.

Anomala ſunt:

| | | |
|---|---|---|
| *Alius* | *Alia* | *Aliud.* |
| *Duo* zween | *Duæ* zwo | *Duo* zwey. |
| *Ambo* | *Ambæ* | *Ambo.* |

Sic & Pronomina qvædam. *ut, Hic, Iſte, Ille, &c. de qvibus ſuo loco.*

† *Qvotuplex eſt Adjectivum?*

Duplex: Comparabile & Incomparabile.

† *Qvid eſt Adjectivum Comparabile?*

Qvod per gradus Comparationis variari poteſt. *ut, Doctus, Doctior, Doctiſsimus.*

† *Qvid eſt Adjectivum Incomparabile?*

Qvod per gradus Comparationis variari non poteſt. *ut, Memor, Omnis.*

## CAPUT IV.

## DE COMPARATIONE.

* *Qvid eſt Comparatio?*

Comparatio eſt variatio Adjectivi cujuscunqve generis per Gradus. *ut:*